

1231.

[m. 3.]

eidem Walerando tamquam custodi suo in omnibus que ad predictam custodiam pertinent, sint intendentes et respondentes, cui Walerando rex commisit omnes terras et tenementa, simul cum castris que fuerunt ejusdem comitis in Hibernia, custodienda quamdiu regi placuerit, ad respondendum de exitibus earundem terrarum ad Scaccarium regis in Anglia, ut in rotulo finium.

*Hibernia: de terris que fuerunt Theobaldi Pincerne.*—Rex justiciario Hibernie, salutem. Sciatis quod concessimus dilecto fratri et fideli nostro R. comiti Cornubie custodiam terrarum quas Theobaldus Pincerna tenuit de dilecto et fideli nostro Waltero de Lacy, usque ad etatem heredum predicti Theobaldi; que quidem terre ad nos pertinent ratione terrarum quas predictus Theobaldus de nobis tenuit per servicium militare. Et ideo vobis mandamus quod de omnibus predictis terris eidem comiti, fratri nostro, plenam saisinam habere faciatis, sicut predictum est. Teste etc. apud Westmonasterium, xv die Aprilis, anno xv.

Ricardus frater domini regis, comes Cornubie, habet litteras domini regis directas justiciario Hibernie de auxilio habendo de hominibus qui tenuerunt de Theobaldo Pincerna, cujus terre custodiam idem comes habet.

Rex concessit R. comiti Cornubie custodiam terrarum quas Theobaldus Pincerna tenuit de Waltero de Lacy, usque ad etatem heredum predicti Theobaldi; que quidem terre ad regem pertinent ratione terrarum quas predictus Theobaldus de rege tenuit per servicium militare. Et mandatum est justiciario Hibernie quod de omnibus predictis terris ei plenam saisinam habere faciat. Teste ut supra.

(Cancelled.) 'Quia proximo superius.'

*De conductu Roberti de Aundely.*—Rex omnibus ballivis et ministris de terris que fuerunt G. quondam comitis Gloucestrie, et de terris que fuerunt W. Marescalli, quondam comitis Penbrocie, et omnibus aliis ballivis fidelium domini regis per quos Robertus de Aundely transitum facturus est, salutem. Mandamus vobis quod predicto Roberto de Aundely, quem pro negociis nostris mittimus ad castra de Strigoil, de Karlion, de Usk, et ad constabularium de Penbrocia et Johannem de Gositon, ballivum de Kilgarry, cum per ballivas vestras transitum faciet, salvum conductum habere faciatis; ita quod negocia nostra eidem injuncta pro defectu conductus vestri dilationem non capiant, vel remaneant, set potius ex eo merito debeatis a nobis commendari. Teste ut supra.

[m. 2.]

*De licentia mercatoris.*—Rex dedit licentiam et concessit Willelmo de Muntanago, mercatori de Sancto Cirk, quod ipse et homines sui salvo et secure veniant in terram nostram Anglie cum rebus et mercandis suis ad nego[ciandum] inde, et salvo et secure in ea morentur et inde recedant, faciendo etc. sine termino. Teste rege, apud Westmonasterium, xvj die Aprilis.